



**MAGNI OPERIS || DE OMNI=||BVS GERMANIAE ||  
EPISCOPATIBVS || EPITOMES:||**

CONTINENS ANNALES || Archiepiscopatus MOGVNTINI ac duodecim ||  
alioru[m] Episcopatum, qui Moguntino Suffra=||ganeatus titulo subsunt:  
Item BABEN=||BERGENSIS Episcopatus, ab || omni iugo Archiepiscopali ||  
exempti.||

**Brusch, Kaspar**

**Noribergae, 1549**

**VD16 B 8782**

Primum Capvt, continet breuem saltem Catalogum omnium totius  
Germaniæ Archiepiscopatum & Episcopatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64715)

DE OMNIBVS GERMANIAE ARCHIEPISCO-  
patibus, ac Episcopatibus.

Caput I.



IN VNIVERSA GER-  
mania constitutæ sunt ab Impera-  
toribus priscis, Septem Archiepi-  
scopales sedes, in quibus præcipui  
habitarent omnium aliarum to-  
tius Germaniæ Ecclesiarum inspectores: uidelicet.

MOGVNTIA ad Rhenum Princi-  
pem Germaniæ fluuiorum, in umbilico Germaniæ  
aut ueteri termino inferioris à superiori sita: pri-  
ma est Archiepiscopalis Germaniæ Ecclesia, ex  
Vuormacia translata. Hæc habet comprouincia-  
les Episcopatus sub se hodie:

- |                    |                      |
|--------------------|----------------------|
| 1. Curiensem.      | 7. Augustanum.       |
| 2. Constantiensem. | 8. Aystetensem.      |
| 3. Argentinensem.  | 9. Hildeshcymensem.  |
| 4. Spirensensem.   | 10. Baderbornensem.  |
| 5. Vuormaciensem.  | 11. Halberstatensem. |
| 6. Herbipolensem.  | 12. Verdensensem.    |

B Olim



## DE OMNIBVS GERMA

Olim autem isti Archiepiscopatus Babens  
Bergensis Episcopatus etiam suberat, sed exem-  
ptus est iterum, ab omni iugo Archiepiscopali, &  
ingenuus ac liber salutatus, mox post fundatoris  
Imp. Henrici secundi mortem, à Pontifice maximo,  
Clemente secundo, qui antea Bambergensis Eccle-  
siae secundus fuerat Episcopus, Suidgerus di-  
ctus. Ita Bambergensis Episcopus, suae Dioce-  
seos Archiepiscopus dici & appellari potest.

SECUNDA sedes Archiepiscopalis  
est Colonia in inferiori Germania ad Rhenum  
sita. Huius sedis comprouinciales Episcopatus  
sunt:

Monasteriensis, olim Minigardeuor-  
densis.

Traiectensis.

Leodiensis, olim Tungrens.

Mindensis.

Osnabruggensis.

TERTIA sedes Archiepiscopalis in  
Germania est Treueris, ad Mosellam in Lotharina-  
gia finibus sita: Haec habet sub se comprouinciales  
& Suffraganeatus titulo sibi coniunctos Episco-  
pos:

Metensem.

Tullensem.

Viridunensem.

Quarta



NIAE EPISCOPATIBVS. 2

QVARTA Archiepiscopalis sedes est  
Magdenburgum in Saxoniae initio ad Albim  
sita: primatus titulo praeter caeteris honorata, de qua  
Conradus Celtis Albim describens, in quarti libri  
amorum, Elegia secunda sic canit:

Eius & ad ripas Madeburgum nobile splendet,

De septem sacris sedibus una nitens.

Condidit hanc primus Caesar qui dicitur Oddo,

Oddo Saxonicae gloria summa plagae.

Huic Archiepiscopatus subsunt comprouina  
ciales Episcopatus:

Morsenburgensis in Thuringia.

Neumburgensis uel Ciczensis aut Mam  
millensis, in Misnia.

Brandenburgensis in ueteri Marchia.

Hauelburgensis in Saxoniam.

Suberat olim & Misnensis Episcopatus  
sed ille exemptus, & ex Pontificum ac Imperato  
rum munificentia, ingenuus & liber est.

QVINTA Archiepiscopalis sedes est,  
Salisburgum in Bauaria ad Salsam, siue Saltisium  
amnem sita, olim Iuuauia, unde aliqui fluuium  
etiam Iuuarum appellarunt. De hac sede sic canit  
Celtis in secundi Amorum Elegia septima:

Est locus aëreas ubi Noricus excipit Alpes,

Hic magnum numen Bauara terra colit.

B ij Hic



## DE OMNIBVS GERMA

Hic ubi consurgit de septem sedibus una:

De Salsa clarum nomen in orbe gerens.

Quae quondam fuerat Romana Iuuauia dicta,

Iuuat ut Italicos saeva per arma uiros.

Hec Archiepiscopalis Ecclesia habet sub  
se comprouinciales Episcopatus:

1. Tridentinum.

2. Brixensem.

3. Patauiensem.

4. Frisingensem.

5. Viennensem.

6. Seccouensem.

7. Gurcensem.

8. Lauentinensem.

9. Chyemensem, et olim etiam Ratisponensem: at is nunc ab omni Archiepiscopali iugo liber & exemptus est, & solius Papae esse dicitur.

SEXTA sedes Archiepiscopalis est Bremis siue Brema, ad Visurgin fluuium in Saxonibus sita, de qua sic Celtis in quarti libri amorum Elegia secunda:

Visure Saxonice annis clarissimus oris,

Sedibus est septem qua Bremis una micat.

Huius sedis comprouinciales Episcopatus siue Suffraganeatus sunt:

1. Lubecensis, olim Aldenburghensis.

2. Suerinensis in Mechelburgia.

3. Lebusinensis.

4. Schlesuicensis.

Razem



NIAE EPISCOPATIBVS. 5

5. Razemburgensis.

6. Hamburgensis, olim Archiepiscopus  
& Metropolitanus omnium Aquilonarium  
prouinciarum, nunc Bremensi unitus.

SEPTIMA sedes Archiepiscopalis no-  
minatur Riga in Liuonia ad mare Balthicum, de  
qua Celtis in quarti amorum, Elegia nona sic:  
Vel pete Sauromatas, ubi Reuola Rigaq; surgūt,  
Vltima de septem sedibus, alta micans.

Huic subsunt Episcopatus comprouinciales:

- |                 |                 |
|-----------------|-----------------|
| 1. Reualiensis. | 3. Oeseliensis. |
| 2. Curiensis.   | 4. Derptensis.  |

Sunt autem & alij adhuc Episcopatus in  
Germania, uidelicet Basiliensis, Sedunensis, &  
Lausannensis: Hi Bisantino Archiepiscopatu sub-  
sunt: is Gallia, non Germaniae Archiepiscopatibus  
annumeratur.

B ij

AD VNI



AD VNIVERSAM HONESTISSI-  
simam Rempubliam Moguntinam.  
SCHEDIASMA.

**T**emplorū authores Moguntia Diua tuorū,  
Episcopos amplissimos:  
Ad Christi qui te duxerunt cognitionem,  
Et te gubernarunt diu:  
Hos uelut in speculo claraq; in luce uidere  
Potes in libello hoc perbreui.  
Quod tibi si officiū placet, est cur gaudeā et ipse,  
Labore qui feci hæc meo.  
Sis foelix sis fausta diu Moguntia, tales  
Videasq; Principes diu.  
Qualis & Aureus fuit, & Crescentius olim,  
Cui te fidem docuit piē.  
Et qualis tuus est hodie Heusensteinius heros,  
Sebastianus Episcopus.  
Doctrina insignis, uirtute potentior, atq;  
Meritorum honore maximus.  
Incolumem quem fata diu tibi mitia scruent,  
Et omnibus bonis beent.  
Te Moguntia, te totus fortunet Olympus,  
Et Olympicus Caesar: Vale.

Caspar Bruschius Poëta à  
Diuo Carolo V. Imp. Aug.  
pio ac foelice coronatus.

Secunda